



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Hæc consuetudo nititur jure naturali, quo defensio rei suæ cuique permissa est, vim illatam vi repellendo. Reges captis hostium provinciis impetum hostium repellunt. Ius illud defensionis non ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

recta distributione reddantur. Si autem Episcopi jurisdictionem secularem usurpare contendant, lite per hanc appellationem ad Curias devoluta, ab invasione arcentur, multa indicta, & bonis captis. Eo jure olim usos esse Principes nostros testatum fecimus superioribus capitibus. Quem morem secuti sunt posteri; ut passim docent veteres Pragmatici, Petrus Iacobi, Masuerius, Aufrelius, Benedictus, Boërius, Chassaneus, & omnes recentiores.

L. 1. ff. Si quis jus
d. centi non ob-
tinet. l. ult. ff. de
jur. dicit.

II. Hujus consuetudinis ratio exploranda est. Nec enim sufficit id quod vulgò jactari solet ex Ulpiano, omnibus magistratibus concessum esse, secundum jus potestatis suæ, jurisdictionem suam defendere pœnali judicio, cum excipi possit ex Paulo, extra territorium aut supra jurisdictionem suam jus dicenti, impune non pareri. Scilicet pœna à judice infligi non potest ei qui sibi subditus non est. Iudices etiam ecclesiastici, ratione habita jurisdictionis ecclesiasticæ quam exercent, à regia jurisdictione non pendent, cum auctoritates istæ societatis communiōne quadam inter se vinciantur potius quam necessitate imperij quod alteri ab altera subeundum sit. Scio quidem rationem istam ab Aufrelio & aliis Pragmaticis juvari solere ex iis quæ notavit Glossator Decretalium, nempe delegatum judicem potestatem sibi mandatam in eos porrigere posse qui alioqui rescripto suo non continentur, si jurisdictionem suam impediant: quia, ut inquit Iuriconsultus, jurisdictione data, ea quoque concessa videntur sine quibus jurisdictio explicari non potuit. Hoc enim locum habere potest adversus eos qui à mandantis imperio pendent, ita ut in eos quoque partes suas commississe videri possit.

Glossa in c. 1. de
offic. deleg.

L. 1. ff. de ju-
risdict.

¶ 1. Libert. c. 7.
n. 22.

III. Nec potior est illa ratio quam è jure civili haustam protulere Guillelmus de Nogareto & Guillelmus de Plesseiano, à quibus eam haussisse videretur Petrus Iacobi, scilicet actione negatoria in rem agere posse eum cujus impeditur jurisdictio, atque adeo per modum executionis res bonæque Clericorum eo casu capi posse. Etenim in servitutibus, quæ sunt jura incorporalia, actiones negativæ in rem scriptæ proditæ sunt, quibus is qui possidet, intendit adversario jus non esse, exempli causâ, utendi fruendi, quæ ideo in rem dicuntur, quòd in rem de qua est controversia diriguntur. Eodem exemplo, concedam quidem ad tuendam jurisdictionem suam, eum qui possidet jus illud incorporale, negatoria actione uti posse, quæ in rem scripta dicitur, quia jus non esse adversario contendet in hoc negotio

jurisdictionem suam exercendi; sed ideo non competet jus actori ea actione res alias persequendi, vel bona capiendi.

IV. Superest ergo ut dicamus hanc consuetudinem jure illo naturali niti quo defensio rei suæ unicuique permessa est, cum per vim auferatur. Etenim cum natura non patiat ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus, eadem natura duce vim illatam vi repellere licet, dum tamen modus inculpatæ tutelæ servetur. Quod in privatis quidem controversiis post constituta judicia per magistratum publicè fieri debet, quantum res ipsa patietur, ne sit occasio majoris tumultus faciendi. Vnde vis rectè dicitur à Iuriconsulto, quoties id quod sibi quis debere putat, non per judicem reposcit. Ceterum quod attinet ad Reges aut Respublicas, manu & ferro res suas tueri & repetere solent ab iis qui priores injuriam intulerunt, ita ut non solum conferta acie, sed etiam translato in provincias hostium bello, urbium expugnatione, & agrorum depopulatione, copias hostiles suis finibus depellant. Quod defensionis jus non proficiscitur ex hostium iniquitate, cum sæpe accidere soleat ut bellorum principia & causæ satis probabili utrinque ratione nitantur, sed ex eo jure descendit quod natura hominum mentibus inseruit, ut se suæque præ aliorum commodis habeant commendatiora. Hoc jure utuntur Reges in Republica Christiana adversus auctoritatem ecclesiasticam, quando de jurisdictione laica controversiæ oriuntur. Etenim vim jurisdictioni seculari illatam vi contraria repellunt, bonæque adversariorum legitime occupant, donec ab injuria inferenda cessaverint. Quæ ratio agendi eò justior est, quòd ea res imperio Principis derinentur, quæ alioqui ejus auctoritati subjectæ sunt, nempe bona immobilia Clericorum & Ecclesiarum: quamvis occupationis illius justitia non ex eo capite pendeat, sed ex defensionis jure. Hanc rationem præcipuè expendit Philippus IV. in commonitorio quod datum est Episcopis Senonensi & Autissiodorensi, de quo dixi capite XVIII. superiori. In eo jure defensionis exercendo omnia media licita pro imperio suo Princeps adhibere potest; ut docuit olim Ioannes Parisiensis Theologus, & è recentioribus Victoria Hispanus, & alij quamplures.

V. Video quid reponi possit, scilicet idem jus comperere jurisdictioni ecclesiasticæ, ut censuris vim sibi fieri prohibeat à judice seculari. Quare hoc argumento nihil confici in gratiam Principum, quod non trahi possit in gratiam Episcoporum; unde conten-

Item. Paul. de
offic. reg. in prin-
cipio. c. 1. ad
videndum. Iacob.
de pœnali. c. 1.
c. 7. ff. de
jur. dicit.